

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Vivoin, Nr. 3**

Qui de possessionibus sancte ecclesie, suorum cuilibet fratum, speciale quid ante nos contulerunt, litterarum designatione quid, et cui, et quando et quandiu possidendum concesserint diligenter annotantes, suis successoribus hujusmodi qualitatem donationis ne lis de talibus postea oriaretur, manifestum reliquerunt. Unde et nos Sanctissimi Petri canonici, simul omnes parvi et magni, notum esse volumus cunctis sancte ecclesie filiis tam presentibus quam et futuris, quia quidam noster canonicus, nomine Abelinus, nostram adiit presentiam, humiliter deprecans ut aliquid de communi nostre congregationis beneficio per cautionis firmamentum ei specialiter concederemus. Huic petitioni communiter assensum prebentes, dedimus ei quasdam vineas quas quondam Ermaldus, Tetbaldi filius, et uxor ejus Sufficia habuerant, tali conditione ut quicquid inde animi haberet facere posset, venderet scilicet, tribueret cuilibet, verumtamen per nostrum assensum atque benevolentiam, ne istius successor nobis in censem reddendo, duos videlicet quotannis solidos, decimamque, rebellis existat. Hoc autem factum est in capitulo Sancti Petri die festo ipsius sancti, assistantibus nobis omnibus ejusdem loci canonicis, Hugone videlicet, Reginaldo precentore, Ermaldo grammatico, Drogone de Sivisa, Abelino, Alberico, Heriberto, Ermaldo custode, Warnero, Ernulfo, Johanne, Andrea, Widone. Quod ut omnes benivolo perageremus animo, dedit unicuique nostrum XII denarios. Eodem vero in loco, assentientibus nobis omnibus, concessit prefatus Habelinus supradictas vineas beatissimo Martino sibique famulantibus monachis Turonensibus, favente Heriberto, Cinomannorum comite, cum fidelibus suis Rotberto filio Hamelini, Hugone preposito, Heriberto dapifero, Drogonne Britanno, Ansgerio de Montemirabili aliisque quam plurimis.